



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXV. De Congregatione super statu Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

CAPUT XXV.

De Congregatione super Statu Regularium.

1. Innocentius X. hanc erexit, & quem in finem.
2. & 3. Quas ei facultates concesserit.
4. Potestatem habet decidendi res controversas de plano.
5. Et promovendi executionem Decretorum Clementis VIII. super Reformatione Regularium.
6. Qui intersint huic Congregationi.

I.

CUM in parvis plerumque cætib; Regularium, ut usus docebat, dissolutior esset disciplina Religiosa, idque non tantum in privatorum, sed etiam universi etiam ordinis redundaret pernicië, instituit Innocentius X. Congregationë quorundam Cardinalium, & Romanæ Curiaë Prælatorum super Statu Regularium, quæ intenderet præcipuè, ne ex multiplicatione parvorum Conventuum & Collegiorum collaberetur disciplina regularis.

2. Hinc facultatem illi tribuit intra fines

fines Italiæ & Insularum adjacentium designandi pro Novitiis & Profellis Conventus, Monasteria, Collegia & Domos quorumcunque Monachorum ac Regularium Virorum cujusvis Ordinis, easque mutandi, transferendi, suspendendi & supprimendi, prout utilitas & necessitas postulaverit, dandi etiam licentias Superioribus Regularibus recipiendi Novitios ad habitum & Professionem, præfigendi numerum Religiosorum, eumque pro modo reddituum augendi & minuendi.

3. Ad hæc exequendi in primis constitutionem ejusdem Innocentii X. *Instauranda*, & Decretum illius: *ut in parvis* editum die 10. Februarii 1654. quibus extinguiebantur omnia Monasteria, Conventus & Domus, in quibus sex minimum Religiosi honestè & decorè sustentari non possent, subjiciendo Ordinarium jurisdictioni illos Conventus, Monasteria vel Domus, in quibus duodecim saltem Religiosi juxta Constitutionem Urbani VIII. non alerentur.

4. Et cum variæ exinde orientur difficultates, dum communitates, vel locorum Domini, qui vel ipsi vel eorum majores pro Conventuum aut Domo-

rum Regularium fundatione bona elargiti fuerunt, contenderent ea cessante fine fundationis ad se redire, habuit quoque potestatem hæc Congregatio, ejusmodi lites & controversias more aliarum Congregationum summarie decidendi.

5. Demum auctoritatem habet Congregatio promovendi executionem Decretorum Clementis VIII. super Reformatione Regularium, potissimum vero, quæ pertinent ad institutionem, & educationem Novitiorum.

6. Intersunt vero huic Congregationi tot Cardinales & Prælati, quod placuerit Summo Pontifici cum uno Secretario, qui mandata conscribit, ac Decreta, & acta in libros refert. Confirmavit hanc Congregationem Anno 1668. Clemens IX, Constitutione: *Injuncti* eamque aliquot membris auctiorem fecit.

CABUT